



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati  
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata  
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem  
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.  
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum  
festiuitatibus habitae

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII**

Iesus ab hostibus capitur Art. & Hom. XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

*Animaduerte & vide, quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccati in te. Tu autem insidiaris anima mee, vt auferas eam. Iudicet Dominus inter me & te, & vltiscatur me Dominus ex te: manus autem mea non sit in te. Quem persequeris rex Israel? quem persequeris? Canem mortuum persequeris, & pulicem vnum. Cum hæc alijs humiliationis verba compleffet Dauid, dixit Saul: Nunquid vox hæc tua est fili mi Dauid? Et eleuans vocem suam, fleuit, dixitq; ad Dauid: Iustior tu es quam ego. Tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. Et tu iudicasti mihi hodie, qua feceris mihi bona, quomodo tradiderit me Dominus in manu tua, & non occideris me. Quis enim cum inuenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddet tibi vicissitudinem hanc, pro eo quod hodie operatus es in me. Vides quomodo carbones super caput Saulis Dauid congregauerit, quomodo ve ad mansuetudinem regem iratum beneficijs placauerit, atque in gratiam reduxerit? Neque tamen modo tantum, sed paulò post eundem denuò etiam iratum ac persequentem, simili mansuetudinis beneficio placauit.*

1. Reg. 26.

IESUS AB HOSTIBUS CAPITUR. *Artic. XI.*

**I**N illa hora ait Iesus ad eos, qui venerant ad se principes sacerdotum & magistratus templi, & seniores; Tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me: quum quotidie vobiscum in templo sedebam docens, & non tenuistis me, nec extendistis manus in me, Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Hoc autem totum factum est, vt adimplerentur scripturæ Prophetarum.

Matth. 26

Marc. 14.

Lucæ 22.

## HOMILIA XI.

**C**onsiderandum primo, Euangelistam hic referre Dominum Iesum loquutum fuisse ad magistratus & seniores populi & principes sacerdotum, hoc intelligi debere, ipsum locutum ad eos, qui illorum nomine & tanquam in eorum venerant persona. Horum enim iussu ac nomine omnia fiebant. Tanquam ad latronem, &c. quasi dicat: Frustra cum gladijs, frustra cum armis, frustra denique in nocte cum lucernis vt latronem me queritis, quem sine defensione quotidie vidistis ob oculos vestros ambulantem in templo. Quare ibi nemine vobis prohibente, me non tenuistis, nisi quia non potuistis, prohibiti certe non hominis, sed virtute diuina? Intelligi te igitur quia nec modo aliquid valeretis, nisi quia hora est iam vestra, qua me trado, & Pater me tradit in manus vestras. *Manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum.* Manus truculentas, oculos minaces, vultum durum, animum crudelem exhibuerunt in Iesum. O filicibus rapibusq; duriores, ô homines efferatos & syluestres. Viderant tantam Iesu potentiam in sui prostratione, nec tamen animo sunt moti, nisi ad furorem maiorem. Viderunt Christi beneficentiam ac charitatem in miraculo iam iam facto, nec sunt edificati. Senserunt eius benignitatem in sui allocutione, & non sunt emolliti, sed effecti ferociiores. Sic, sic omnibus id impijs ac superbis vsu venit, vt quo magis illis condescenditur, quo plus tribuitur, eo vehementius insolecant atque tumescant.

Matth 26.

E

meant.

Comprehē-  
sio Iesu quā  
fuerit cru-  
delis.

Captiuitas  
Iesu quam  
fuerit con-  
tumeliosa.

meant. Considera quoque hic iterum in Christi captiuitate, quomodo simul in ipsum irruunt omnes. Nemo non vult singularem Domino Iesu contumeliam inferre. Nemo est qui se non velit de sui prostratione in terram, vindicare. Omnes clamant, seuiunt cuncti. Alius huc, alius trahit alio. Hic cædit, hic subfannat, hic blasphematur, alius maledicit, alius illudit. Agnum itaque mansuetissimum, ut rabidi canes furiosive lupi dilaniant. Considerandum tertio, non solum dolorosam ac pœnis referendam hanc Christo fuisse captiuitatem, verum etiam contumeliam & ignominiam plenam. Qui enim captus est, sui esse desinit iuris: manetque non liber, sed ad alterius cogitur duciturque voluntatem. Hanc tamen ignominiam Christus, quomodo cuncta alia sponte ac libenter tolerauit. Considera quarto, quo is qui captus est, habetur dignior, maior ac melior, eo est eius captiuitas indignior & probrorior. Nemo autem dignior Christo.

*Captiuitatem quamnam in nos ipsos exercere debeamus.*

Quomodo  
nos ipsos  
debeamus  
facere capti-  
uos.  
Sensus ho-  
minis uti re-  
frenandi sint  
Oculi quo-  
modo capti-  
uandi sint.

Aures uti te-  
nenda sint  
captiuae.

1. Cor. 13.

Quomodo nostri amore Iesus captus, captiuum se quoque Iudæis tradidit, ita nos quoque debemus nos ipsos facere captiuos. Omnes sensus nostros, omnia membra, intellectum quoque captiuemus in obsequium Christi. Captiuemus, hoc est, captiuos teneamus sensus nostros sub freno & disciplina, ne liberè se ad ea quæcunque appetunt, conuertant: ne recipiant noxia, ne occupent se ociose, sed ad Christi amorem & laudem semper ferueant prompti. Captiuentur oculi, ne videant illicita, unde tententur prouocentur ve ad concupiscentias luxuriæ, gulæ, auaritiæ. Hoc modo sanctæ quædam virgines olim oculos captiuos tenebant, ut nuditatem corporis sui præter manus & pedes, amore castitatis nunquam conspexerint. Hoc modo viri sancti, ut Hugo Gratianopolitanus episcopus, Rogerius, &c. nullius mulieris tantisper contemplati sunt faciem, ut denuo occurrentem possent agnoscere. Nec tantum viri, sed etiam mulieres sanctæ, ut Gertrudis, seu Trutha Halberstattenfis, aliisque multæ eiusmodi, ubi viris locutæ fuerant, quod interdum erat necessarium, aded refrenatis oculis redibant puræ, ut nunquam eorundem viderint faciem. Captiuas deinde teneamus aures, ut non audiamus rumores seculares, praua colloquia, verba scurrilia, minusque pudica. Non audiamus quoque detractiones, quia omnia hæc conscientiam vehementer inquinant, malas vanasque cogitationes gignunt ac nutriunt, quomodo Apostolus quoque dicit: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Captiuas teneamus manus à tactu illicito. Captiuam teneamus voluntatem nostram sub voluntate nostri superioris in voluntatem Dei. Captiuemus demum totum corpus nostrum in obsequium Christi. In multis enim qui Deo vult viuere debet se ipsum mortificare, libertatem sibi perniciosam adimere, & sub iugo diuinæ voluntatis in captiuitatem se redigere. Item roga Dominum Iesum, qui se tui amore tradidit captiuum, ut te quoque sibi accipiat, teneatque captiuum.

*IESUS FUIT LIGATUS. Articulus XII.*

Ioan. 18.

Cohors ergo & tribunus & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum.

HOMI-